

bet radio tantum unam fructificationem . nec vidi hanc apud alios . dici tunc posset : *Euphorb.* umbella quinquefida, simplicissima , radiis unifloris , involucellis ovatis , foliis lanceolatis , serrulatis.

*Linnaeae* semina numquam germinarunt in horto , nec possum ipse eandem alere in horto, quamvis radices sumam : debet crescere in umbroso, rorido solo, tantum inter abieta, et radicibus serpere in Hypno rorido.

Millies quaeso ad me mittas Tuum opus in Belgio imprimendum , quamprimum prodeat.

Hesperis 3 Clus. putavi semper esse Hesperidem sibiricam, nec adhuc aliud video.

Vale et Tuo fave. Dabam Upsaliae 1760, d. 8. Julii.

*Milleria* quinqueflora sub *Tetragonothecae* nomine missa, egregie e seminibus excrevit.

Si non sit *Genista*, quae sub *Aspalathi* nomine missa erat, ego debeo valde errare, nec aliud etiamnum video.

Ach quomodo accipiam novam Floram Austriacam, qua carere nequeo.

Monetam cudi curavit ill. D. Tessin cum mea imagine, et ab altero latere tria regna s. 3 coronas, una animalibus 2<sup>da</sup> plantis, 3 lapidibus, et inscriptio illustrat.

Dedit mihi unicam ex auro, et sex v. octo amicis; nullae aliae adhuc cusae sunt, si cudantur curabo ut habeas.

---